

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ menſis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXIV.

M. JOANNE-ARMANDO ROUSSIN DE MONTABOURG, Doctore Medico, Præſide.

An Cancri curatio remediis attenuantibus tentanda?

I.

CONSTANTI & univerſali harmoniâ gaudere nequit animalis Œconomia, niſi fluidorum actio in ſolida, & ſolidorum in fluida reactio ritè ſint ordinatæ. In illis abſolutè requiritur quædam mollities, flexilitas, elaterium; in hiſce verò fluiditas nec-non unctuoſitas convenientes; itâ ut

ſufflaminatâ quâdam harumce qualitate, corporis noſtri functionum deturbetur ordo, humoreſque in vaſis ſtagnent, ut patet ex ſuppreſſis menſtruis, hæmorrhoidibus, aut poſt acerbos mœrores, melancholiam, ictus, non modò anomalos, phlegmoneos, skirrhoſos, ſcrophuloſos tumores procreant, ſed etiam tumores alios qui omnes facilè fieri poſſunt cancroſi, quique ſemper adaugentur, donec convenientibus remediis ſoluta fuerit materia obſtructiones efformans, & è vaſis extranea, quibus ultrà tonum diſtenduntur, expulſa fuerint liquida.

I I.

AB omni ævo, in inquirendis cauſis & curatione Cancri multùm inſudârunt Medici. Inter ſe de illis non conſentiebant Medici antiquiores; inter ſe non magis hodiè conſentiunt recentiores.

Alii Cancri efformationis inſtituendæ & explicandæ gratiâ vanam & peculiarem hepatis admittebant ſyncraſim, quod ad ſpiſſum limoſumque ſanguinem gignendum exiſtimabant idoneum; putabantque ſplen ſanguini depurando impar. Alii in menſtruis, fluxu hæmorrhoidali cæteriſque excretionibus cohibitis & ſuppreſſis cauſam reponi poſſe arbitrabantur. Nos verò diverſas illorum circà Cancrum ſententias flocci facimus, quæ nimirùm inter eos rixas fovent, & cum eorum controverſiæ non tam citò ſint judicandæ, ab illorum opinione eò libentiùs deflectimus, quò vividiùs & acriùs hypotheſim ſuam quique ratiociniis comprobare nituntur; experimentorum, quibus invictè probaretur eorumdem opinio, nequaquam ſolliciti. Verùm enim verò, cum in Medicinâ experimenta ſola filum ſint & trames, quorum ope ad abditiſſimæ morbi naturæ cognitionem adducamur, ulteriùs progredi tentavimus, & non ſemel poſt repetita experimenta, nobis ſolo remediorum diaphoreticorum, aperientium, incidentium uſu Cancrum poſſe curari, compertum fuit.

I I I.

CANCER tumor eſt durus, rotundus, inæqualis, lividus ſeu plumbeus, plurimis varicoſis circumductus vaſis. Ferè ſemper natales debet tumor ille fluidis congeſtis, quæ circulationis ope lento gradu in quamdam partem advehuntur. Fluida illa in vaſis ſic aggeſta ſtagnant, in quibuſdam tumoris partibus indurantur, & in aliis putreſiunt.

Hinc ex hâc utrâque fluidorum in vaſis degenereſcentiâ ſeu depravatione, facilè patet in aliâ condenſari ſpiritus, ſolida coarctari, confundi, diſtrahi & eſſe quaſi diruta, dum in aliâ parte in quâ putredine tabuêre fluida, intumeſcere, extendi, dilatari, nigreſcere debent ſolida.

Hæc autem humorum diſſolutio nocivâ & deleteriâ qualitate ſuâ ſæpè ſæpiùs ſympathicum parit erethiſmum quem totum admittit genus nervoſum, æſtuantem ſcilicet calorem, lancinantes dolores, & tandem ſanioſum ulcus, corrodens, fœtidum, calloſis & everſis oris ſtipatum.

I V.

AD ævum noſtrum uſque plerique Medici in eo toti fuêre, ut multiplici remediorum genere Cancrum debellarent, ſed heu! tam gravi morbo devincendo imparium. Vix volumen ea complecteretur, & ſi hîc ea non recen-

ſentur, minimè dolendum eſt, cum pateat & conſtet remedia quæ hactenùs efficaciſſima habita fuêre, nihil aliud eſſe præter ſuppurantia, corroſiva, cauſtica, eſcharotica, actuale & potentiale cauterium nec-non extirpationem.

Ex maturantibus auxiliis hùc uſque uſurpatis, erethiſmus, obſtructio quandoque augentur, undè ad malignam diſſolutionem diſpoſitio. Experimentum cauſticorum, corroſivorum ope tentatum pariter fuit irritum, & ſuppuratione multò periculoſiùs. Ad operationem demùm tanquàm ad ſacram anchoram confugêre, at verò eam ferè ſemper incaſſùm fuiſſe inſtitutam compertiſſimum eſt; præſertìm ſi Cancri vetus ſit adhæſio & tumor non ſit circumſcriptus. Hæc omnia mala etiàm potiſſimùm accidunt, cum materiæ reſorptione per totum corporis habitum cancroſus affluit & diffunditur humor, vel ſi æger atrophus, flavus ſit cutis color, & ſi in diverſis corporis partibus polypoſæ adſint concretiones. A doctiſſimis Medicis, ſicuti à nobis improbata fuêre iſtius modi medicamina, ut aperientium & incidentium admitterent uſum; at ea brevi rejecêre, quòd nimirùm in cancroſo tumore procrearent inflammationem, dùm inflammatio ſola ſit via quâ faciliùs & tutiùs poſſet ille tumor dirui.

V.

OPERATIONEM ſolùm eſſe tutum ac certiſſimum adversùs adeò tetrum horrendumque morbum præſidium cenſent plerique Chirurgi.

Ut operationis fautorum deleatur opinio, ſufficiet hic referre ſcripta clariſſimi Monro. Affirmat Author ille ex ſexaginta fœminis quibus extirpatus fuerat cancer, quatuor tantùm ad ſanitatem fuiſſe reſtitutas. Hujuſce Scholæ Medici * clariſſimi obſervationes noſtram confirmant ſententiam. Vidit exemplum fœminæ cujuſdam cancro laborantis quæ ſolis naturæ viribus fuit ſanata; hìnc animo ſibi finxit eoſdem forſan poſſe procreari effectus eoſdemque ope remediorum attenuantium obtineri ſucceſſus. Sic inquit, ab eâ vocatus fui non ad eam planè curandam, ſed tantùm ad illos quibus cruciabatur dolores ſedandos quandòque pulverem viperarum, aſellos, & radices aperientes uſurpando, mammarum tumores diſcuſſi. Tunc citrà ullam ſpem ſanationis illa præſcripſi remedia. Ex uſu eorum per viginti & unum diem continuato peculiare prodiit phænomenon, eryſipelatoſa ſcilicet inflammatio quâ ſiniſtrum affectum fuit latus. Mirum in modum accrevit eryſipelas, major in cancroſo tumore evaſit inflammatio, tunc cancroſus ſe protulit odor, qui auctam indicavit putrefactionem, quæque in veram gangrænam fuit converſa.

Intereà ægrota ſtrictam ſedulò ſervavit diætam & eadem remedia indeſinenter aſſumpſit donec tandem circumductus cancer die vigeſimâ-primâ decidit. Quoad ulcus quod ſedulò animadverti, omninò & ritè fuit deterſum curatumque cum terebinthinâ & ovorum vitellis; tandem ex morbo tam moleſto ad ſanitatem fuit revocata. Plurimæ aliæ fœminæ quarum hiſtoriam hìc referre longiùs foret, eorumdem remediorum ope convaluerunt; nullaſque unquàm paſſæ ſunt recidivas. Febris quam excipit eryſipelas quæque non remittitur, niſi poſt eſcharæ prolapſum videtur cancroſi parere attenuationem vitii in maſſam ſanguinæam reflui, quæque illud tandem deſtruit, perindè ac febris hydrargyrica in lue vereneâ. Præterea radices omnes abſumit, evellit & eas in eſcharam reducit, ac proindè nequaquàm metuenda eſt recidiva. Sæpiùs dictum fuit nec immeritò

* *M. Gourlez de la Motte.*

tamdiu ſchirroſa non movetur materies, illius non tentandam eſſe ſolutionem, contrà verò cavendum eſſe ne ad inflammationem vergat.

Itaquè concluſio noſtra degeneratum dùntaxat ſpectat ſchirrum, cujus maſſa futuram aut præſentem portendit ſuppurationem, cujuſque materia ſuppurata ſuo in maſſam ſanguineam refluxu eumdem lue cancroſâ jam inquinavit, aut ſaltem jamjam eſt inquinatura. Arbitramur & contendimus prudentis eſſe Medici illius inflammationem & converſionem in eſcharam gangrænoſam quâ deſtruatur & deleatur cancer, provocare.

Ergò Cancri curatio remediis attenuantibus tentanda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franc.-Nicolaus SIMONET, *in Senatu Patronus, rei Herbariæ, Profeſſor deſignatus, pro anno 1784-5.*

M. Franciſcus DOUBLET, *in Senatu Patronus, Scholarum Profeſſor.*

M. Thuſſanus-Claudius-Nicol. NAVIER, *Academiæ Cabalaunenſis Socius.*

M. Edmundus - Joachinus BOURDOIS DE LA MOTTE.

M. Michael-Franciſcus DE LA PLANCHE, *Bibliothecæ Præfectus, pro annis 1784-6, deſignatus.*

M. Criſtophorus-Nicolaus DE JUSSIEU.

M. Anna-Claudius DORIGNY.

M. Ludovicus-Joannes-Baptiſta GOSNIER.

M. Petrus-Auguſtinus ADET.

Proponebat Pariſiis JOANNES-JOSEPHUS GILLE, Leodienſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Auctor.

A. R. S. H. 1784.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1784.